

Johannes-Franciscus Arnoud colligavit

C. TIBURTII DEXTRI MEMORABILIA

Præfatio



primæ notæ ferebat.

Pueritiam autem C. Dexter ruri, in Tusculano et Vrbe, in Viminali egit et, studiis desertis, Athenas sex menses adiuit, cuius itineris occasione usus est ut suos e materna domo uisitare. Vno et uicesimo ætatis anno, decemuir stlitibus iudicandis creatus, seueritate sua et maturrima iuris ciuilis peritia conspectus est. Postea, C. Grato C. Prætextato consulibus, tribunus laticlauus tertix legionis Gallicæ, quæ statua castra in Syria habebat, factus est. Romam rediens, post tribunatum, otium litteratum in priuata bibliotheca struenda oblectauit. Namque librorum studiosissimus erat atque existimo hunc, Plinii Maioris instar, doctum curiosumque uirum, nisi casuum serie captus et a libris suis auersus esset, facturum fuisse.

Johannes-Franciscus Arnoud colligavit

C. TIBURTII DEXTRI MEMORABILIA

A SCRIBA STOLONE SCRIPTA



Præfatio

Præfatio

Stoloni nomen est mihi iamque annorum pondere moleque membra mea languescunt. Quoniam ætati cuique sua gaudia uel, quod aiunt, quidquid agas age pro uiribus! senectus mea nobili munere fungatur quod memoranda domini, C. Tiburtii Dextri, acta gestaue tibi tradam! Cuius domini, qui adeo mirationem meam fecit ut gratissimum in eum studium haberem, inde, primum omnium, beneuole lector, de eiusmodi miratione et studio tecum communicare aueo. Abhinc quadraginta et quattuor annis, cum annos uiginti fere natus, non solum Tiburtio seruire sed etiam eum cognoscere mihi licuit.

Primum uero dominum, Atticum, Tiburtii auunculum habui cuius in domo a cunabulis nutritus educatusque sum. Atticus autem patronus erat et ad orationes suas transcribendas me instituit. Munus domini fide mihi datum quod tota iuuentutis meæ gravitate efficiebam atque, multis causis litibusque actis, paulatim actiones eius transcribere adsueui et tam peritus factus sum ut tam celeriter scriberem quam ille diceret. Præterea tam memor eram ut ad uerbum fere orationes eius referre possem. Facultates autem quas senectus mea noniam corripuit nec marcidas fecit.

Post Attici mortem, hereditate accepta, in patrimonium C. Tiburtii Dextri transii et gauisus sum nouum dominum habere qui maior quam me biennio erat. Videlicet adulescentes una, ut dicitur, græcati sumus neque tamen ille finem adimebat qui dominum a seruo diuidit. Nam dignitatis suæ beneficia plurimi faciebat. Quamobrem nihil nisi umbram eius esse mihi licuit et fido et semper præsentem et interdum socio.

At tamen, cum paulatim Dextrum melius noui, studio in eum meo infinitam mirationem addebam namque non tantum probum perspicacemque adulescentem inueniebam sed etiam eiusmodi mente præditum quam antea numquam reppereram et ex qua maxime abscondita secretissimaque uera adeo deprehendere poterat

ut eam pro diuinatione habuissem nisi mirandum ingenium ad rerum causas et exitus digerendos fuisse sciuissem.

In capsis uero et scriniis commentarios ac documenta coaceruauit ut hoc singulare ingenium tibi demonstrarem. Itaque facultatibus meis, ut ad dominum monumentum ære perennius exigerem, uti institui, dum uarios multosque casus enarro quorum mirabundus testis eram humilisque scriptor ero. Iam, beneuole lector, pace tua, summatim breuiterque dominum suosque exposuerim.

Natus est C. Dexter ante diem quartum Idus Julias, Imperatore Opellio Macrino iterum et Oclatinio Aduento consulibus, in Viminali colle. Pater eius C. Tiburtius Seuerus in cursu honorum locum prætorium, Cæsare Alexandro Seuero imperante, non superauit obiitque, abhinc quadraginta et quinque annis, quinquagesimo et quarto ætatis anno, mater autem, Dexteria Attica, dum Tiburtiam Valerianam domini sororem gignit, uicesimo anno suo decessit, quam matrem in puerperio mortuam Dexter, infans et lactans, tum unius anni, mensium octo dierumque decem, cognoscere non potuit. Numquam tamen Seuerus uiduus uxorem alteram duxit sed diuturnum cum pælice Septima commercium habuit. Valeriana uero soror, anno priusquam pater obiit, domum patris dereliquit ut T. Mario Quintiliano nuberet. Hæc parua sunt quæ colligere de maioribus Dextri potui.

Auus autem paternus, nomine C. Tiburtius Lætus, senator inter prætorios sero adlectus est et in Tusculano suo ætatem maxime egit et, cum C. Tiburtius Dexter tredecim annos natus esset, anno septuagesimo et quarto excessit. Duxerat uxorem Valeriam Seuerinam, quæ a Prænestinis oriunda erat. Auus uero maternus T. Dexterus Philo Chæronea Græcus erat, qui quadraginta et quinque annos compleuit, sed nepotem suum non cognouit, quoniam quindecim mensibus, antequam C. Dexter natus est, diem obiit et Helena, C. Dextri auia materna, sexagesimo et tertio anno decessit, abhinc fere quadraginta et sex annos, atque incolere ambo uastum prædium in Locrorum ora positum sub infimo Monte Cnemide et sinu Euboico adfusum, quod oleum